SYZYGIA MISCELLA AD JURA OBLIGATIONUM, & DOMINIORUM PERTINENTIUM, SEX...

Andreas Klessen, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Ampliſſimo, Prudentiſſimo, longoq́ rerum uſu cùm Publicarum cùm Privatarum Excellentiſſimo Viro,

Dn. THOMÆ LEBTZELTERO, SENATORI ET MERCATORI Lipſienſi Primario,

Domino, Affini & Patrono ſuo colendiſſimo.

EA Vir Ampliſsime, Prudentiſsime, Excellentiſsime, Affinis & Patrone colendiſsime, eſt virtutis vis & efficacia, ut hominum animos inſtiget, quaſi pelliceat, & inſtar magnetis attrahat, ad ſuorum cultorum amorem. Imprimis verò ea virtus, in beneficentia quæ ſita eſt, non modo eos quibus beneficia exhibentur, ſed & alios, tum ejuſdem ordinis, tum aliorum ordinum homines, ita afficit erga bonorum Patronos, & benefactores, ut ſinguli & univerſi eos ſummè amare, ijſdem optima quæque precari, nunquam deſiſtant. Hujus rei, Vir Ampliſsime, Prudentiſsime, Ideam quandam, & vivum exemplar in te habemus. Nam cum hactenus

omnium bonorum, & præſertim literatorum Patronus incomparabilis extiteris, & non (vulgi falſorumque Patronorum, qui aut verbis amicos ſe profitentur, re inimiciſsimos ſe gerunt, aut clientum amicorum neceſſariorum, res an bene an male ſe habeant, ſuſque deque ferunt, more) tibi addictos clientes, magnificis verborum ampullis inefcaveris, & vanis pollicitationibus ſuſpenſos tenueris ſed tuam in ſingulos beneficentiam ipſo facto multoties declaraveris ijsq; quicquid boni potuiſti, re ipsâ, ſine ulla mora & cunctatione, præſtiteris; ad unum omnes boni, omnes literati, bene tibi favent, ſumme te amant, optime tibi tuisque cupiunt, optima quæque ſibi viciſsim de te tuisque promittunt & pollicentur.

Hiſce motus ego quoque, Vir Ampliſsime Prudentiſsime, fidelis patroni indigentiſsimus, in tuum patrocinium recipi, & tuis clientibus annumerari, deſiderare, deq; modo ac ratione deſiderium implendi, & vota ad finem optatum perducendi, cogitare cœpi.

Hiſce intento ipſa occaſio, me inſinuãdi, monſtravit, modum & rationem. Hic Lipſiæ in meis privatis collegijs Iuridicis, hacten⁹ aliquot diſputatio-

rationes ſelectiores extra ordinem habui: Quas ut publici Iuris facerẽ Studioſi mihi duces & ſuaſores fuerunt. Eas, cum jam Auctores divulgata ſcripta ex more recepto, ſuis patronis, in ſignum affectus clientelaris, offerre ſoleant, & in præſentia te mihi devinciendi, aliæ rationes deſint, Ego, Vir Ampliſsime, Prudentiſsime, tibi inſcribendas duxi. Haſce ergo meas operas, jam tibi meo magno Patrono, tanquam primitias meorum officiorum dico, dedico, offero, & ſimul me, meaq; tuo patrocinio fideliſsimo commendo, committo, certa cum ſpe, certa cum fiducia quod ut alios qui tuâ ope, tuo auxilio uti voluerunt clientes, ſemper benigne admiſiſti, ijſq; nunquam defuiſti, ſic me quoque tuum clientulum benigniſsime ſis recepturus mihique nulla in re ſis defuturus. Certe ſi unquam gratum tuique ſtudioſum habuiſti Clientulum, me habebis gratiſsimum, ſtudioſiſsimum.

T. A.

Studioſiſsimns

M. ANDREAS Kleſſen.

Hen

Hendecaſyllabi ad

Excellentem, Præſtantiſſ. & Juriſſcientiſſimum Virum,

DN. M. ANDREAM KLESSENIVM,

Halberſtad. Sax.

TV qui perdius in bonis libellis,
Pernox Codice qui ſacro moraris,
KLESSENI, ſtudioſus ad lucernas
Prælargumq; oleum, Cleanthis inſtar,
Boni Publici amore, laudis auctû,
Quid non LIPSIA, dives illa rerum,
Muſarumque Patrona liberalis,
Contrà donet? & ille principalis
Fautor Pieridum, ille Gratiarum
Verus filius & perennis hæres,
LERZELTERUS agat? cui profectò
Debemus monumenta noſtra, quotquot
Sudamus Clarijs Eliſtri in arvis,
Non quæri tibi debuit, diſerte
KLESSENI (ſed in hôc prior ſapiſti)
Mœcenas alius. vel unus inſtar
Multorum tibi ſit. poteſt habetque,
Quod tanto referat ſuo Clienti.
Huic certè imo animi precer receſſu,
Vt Fortuna, quod impia Euclionum

Turba

Turba poſsidet arduis acervis,
Quo ſub climate cunque quisque degat,
Aperto omnibus hôc ſinu reponat:
E quo ſæpe fames mihi repulſa:
E quo ſæpe mihi ſitis levata eſt.
Vivat, vivat jo! diuq́ue vernet
Hoc carum Patriæ Senatuiq́ue,
Carum Mercurioq́ue Apolliniq́ue,
Nobiſq́ue omnibus orbe literato
Caput! percipiat velim iſta vota.
Quidni percipiat? refers. taceri
Vota hæc publica neſciunt. bene ergo.
At tu Aſtræa decus, quod inchoaſti
Hoc in Saxone, perfice: immò tandem,
Tu Fortuna, quod optimè meretur
Hic KLESSENIUS, horreo tuorum
(Deſunt cætera nulla ei) Bonorum
Imple. Vos toties rogare, turpe:
Multas ante preces juvare, Divûm eſt.

MATTHÆUS ZUBERUS,
Poëta Laur.

ALII
Ad eundem.

VT perenniflui ſcatébra fontis
Inexhauſta manet, ſiticuloſi
Quamvis quottidie hauriant gregatim;
Momentis licet omnibus bibatur,

Vena

Vena uſque uberior tamen ſcaturit.
Manat ſic etiam è ſinu Utriuſq;
Juris quottidie, fluentis inſtar
Rivi, limpidiorq; clariorq;
Vena, quò ſtudioſiore curâ
Rimamur penitis latentem arenis.
Mirum eſt, copia ubiq; tanta quum ſit
Doctorum, uſque adeò quid inveniri
Novum poſſe, quod ante neſciebant,
Quod venam ſapiat propinquiorem.
KLESSENI, *inter eos tibi profectò,*
Si non prima, ſecunda palma danda eſt.
Namq; lucidius tuo eſt labore,
Juventiſq; tuis niteſcit æquum,
Et, craſſis latuere quæ tenebris,
Abſtruſiſſima jura jam pateſcunt.
Augiæ ſtabulum quaſi eſt repurgans
Hic tuus labor: eſt labor dicari
Dignus Imperij Sacri Dynaſtis.
Sed qui eſt Imperij Sacri Dynaſtis,
Et Muſis, & Apollini, & Poëtis,
Toti orbi quoque notus Erudito
LEBZELTERUS *aget quod expetiſti:*
Te tuum ſtudiumq; promovebit.
Nullum deſeruit, fatentur omnes,
Nullum unquam vacuum remiſit à ſe,
LEBZELTERI *ea largitas Patrona eſt.*

PETRUS Becker Saxo
Poëta Laur.

DISPV-